



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

CCXXXVIII. Innocentius X. Anno Christi 1644. Ferddinandi III. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

CCXXXVIII.

INNOCENTIUS X

ANNO CHRISTI 1644.

FERDINANDI III. 8.

Spond.
an. 1644.
§. 3.

AD Pontificiam dignitatem XVII. Kal. Octobr. promotus est *Johannes Baptista Pamphilius* Romanus, dictusque *Innocentius X.* Sub initium Pontificatus ejus exortum bellum Creticum, quod per annos quinque & viginti adversus Turcas Veneti fortiter gessere. His, quamdiu regnavit, Innocentius triremes suas auxilio misit, subsidiisque alia aliunde impetravit, ac *Jubilæum* indixit paci Superum exposcendæ. Idem ratum jussit decretum sacre Congregationis Ceremoniarum, præcipiens *Cardinibus* etiam quacunque natalium seu precellentium aliarum dignitatum prærogativa insignitis, quod solo nomine Cardinalis, absque ullo secularis dignitatis additamento contenti, non aliis Titulis nuncupentur, nec uti possint, quam Eminentissimi, & Reverendissimi, nec non Eminentissimæ Reverendissimæ. (1) Reprobavit pacem in-

ter Cæsarem, Gallos, & Suecos peractam Osnabrugæ, tanquam probrosam Imperio, & noxiam Christianæ rei. Castrum Duci Parmensi ademptum adjunxit Romanæ ditioni. Edidit constitutionem, ut tollerentur Cænobia omnia in Italia, *in quibus ob parvum numerum Religiosorum regularis disciplina, juxta peculiaria cujuslibet Ordinis Instituta, servari non posset, factâ Episcopis facultate redditus eorum in sacros usus alios convertendi arbitrio suo.* (2) Præter quinque *propositiones* depromptas ex libro Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, qui inscribitur *Augustinus*, damnavit etiam librum *De magnitudine Romanæ Ecclesiæ, & SS. Petri & Pauli supremo Pontificatu*, cujus auctor facit Paulum æqualem Petro in Ecclesiæ administratione. (3) Nec satis habuit damnâsse insanam doctrinam; sed etiam præcepit viris doctis, ut eam scriptis labefactarent. Anno 1650. Magnum *Jubilæum* tertium decimum celebravit, & quinto post anno 1655. VII. Idus Januar. decessit, functus Pontificatu per *decennium ac menses tres, diésque tres supra viginti.*

ANNOTATIONES.

(1) Constitut. 2. §. 1. tom. 4. Bullari
pag. 238.

(2) Constitut. 27. §. 2. tom. 4. Bullari
pag. 281.

(3) Constitut. 31. ibid. pag. 287.

CCXXXIX.

ALEXANDER VII.

ANNO CHRISTI 1655.

FERDINANDI III. 19.

CUm aliquamdiu inter Cardinales Pontifici creando congregatos certatum esset sententiis adversis, VII. Idus April. Pontifex renuntiatur *Fabius Ghisius Senensis*, qui *Alexandri VII.* nomen sibi imposuit. Occupatus in Urbe ornanda ædificiis & molibus, incubuit præsertim in curam Christianæ Religionis. *Propositiones* quinque depromptas ex libro *Jansenii* supra memorato iterum execratus est, & aliorum Auctorum quinque & quadraginta damnatis, fanxit morum disciplinam. (1) *Isaacum Peyrerium* simul *Calvini* sectam, simul librum *de Præadamitis*, quem paulo